

*Sonchus capillaris* Svent, nova spec.

Sectio *Atalanthus* DC.

**F**RUTEX 100-200 cm. alt., robustus, multicaulis; caulibus erectis, rigidis, simplicibus vel vix ramificatis versus apicem, ramis tortuosis; cortice glabro cum cicatricibus parum notabilibus, fuscescenti in truncis veteribus, lucente albo-lutescenti in truncis juvenilibus. Foliis glomeratis versus apicem ramulorum juvenilium, paucis, ephemeris, 8-20 cm. long., ambitu lanceolato, nitido-glabris, pinnatisectis cum 5-9 iugis segmentorum alternorum, gracilissimis, 2-8 cm. long., 0,2 mm. lat., acutissimis, angustissimè viride-marginatis, non decurrentibus, rhaqui filiforme; petiolo 1-3 cm. long. Stipite florali 10-15 cm. long., rigido, cylindrico, tomentoso-pannoso vix folioso ad basim; foliis caulinaribus cum segmentis brevissimis, setaceis; inflorescentia paniculato-corymbiforme, laxa, 15-20 cm. diam., cum 2-4 ramis inferioribus; ramis et ramusculis erectiusculi-divergentibus; bracteis tenuissimis, subulatis; pedunculis valde inaequalibus longitudine, aequivalentibus capitulis imo bis ter longioribus; capitula 10-15-flora, ca. 10 mm. diam.; involucro subcylindrico, ca. 5 mm. long., vix 2 mm. diam.; bracteis involucralibus glabris, virido-rubrescentibus, externis lineari-attenuatis, obtusis; internis lineari-lanceolatis, obtusiusculis, margine hyalino, infernè integro, scarioso-ciliato apud apicem; floribus periphaericis 6 mm. long. cum tubo vix 2 mm. lat., densè albo-piloso-glanduloso in dimidio superiore; ligula pallide-lutea, 4 mm. long., 2 mm. lat., ovalata, apice truncato, quinque-denticulato, denticulis acutis; staminibus  $1/4$  brevioribus quam ligula; stylo incluso; laciniis stigmae ca. 1 mm. long., dimidie exertis. Achaenio lineari-fusiformi, valde ad basim attenuato, compresso, ca. 5 mm. long., deaurato, quinque-striato, minutissimè albo-papilloso, apice albo-stipitato; villo achaenium longiore, sub-biseriali, inaequali, valde deflexo atque caduco cum setis denticulato-setosis, albis.

Floret et fructificat Septembri-Novembri.

Habitat inter rupes apricas et siccas.

Locus originis: Nivaria (Tenerife) in magno anfractu, vulgo dicto "Barranco de Tejina" inter 400-700 m. alt., ubi datur plus minusve abundans. Legit cum flore et fructu die 18 Octobris 1957

*Sonchus capillaris* est planta valde xerophila, sed major pars anni in statu aphylo. Invenitur sat frequens in locis calidis et petrosis regionis australis Nivariae, et de testimoniis a diversis auctoribus factis pro *Sonchu leptocéphalo* Cass. in hac regione aliqui debent, sine dubio, esse referenti ad *S. capillarem*, qui est magis affinis *S. filifolio* mihi, quam ad speciem anteriorem.

EXPLICATIO TABULÆ XXXV

*Sonchus capillaris* Svent.

$\alpha$  . Caulis floriger et fructiger;  $\beta$  . idem foliosus (ambo magnitudine naturali);  $\gamma$  . bractea involucralia externa;  $\delta$  . idem interna (ambae 4 x auctae);  $\epsilon$  . flos (5 x);  $\zeta$  . achaenium cum villo a ventre;  $\eta$  . idem a lato visum (ambo 10 x aucti).



*Sonchus capillaris* Svent.